

1. Carpfow. de iure Weichbildorū.
2. Schitter, de Curis Dominicalibus, lingo Silesia.
3. Hanaccius, de Aere alieno Studijordm.
4. Struck, de Immunitate Domini à Periculo.
5. Thomajus, de iure Circa Frumentum. Tract. I.
6. a. idem, de iure ^{Circa} Frumentum Tractat. II.
6. b. Thomajus, de iure Futuro.
7. Schlervogt, de Alienatione Domino prohibita.
8. Serizonius, de iure Occulto.
9. Angeln, Unus actus nullus actus
10. Horn, de iure Circa rem alienam.
11. Gell, An Condicio, quae propter casum impleri nequit,
pro completa habeatur.
12. Lyncker, de Fatalibus.
13. Mylius, usus, de Novi Operis Nuntiatione, in Foris.
14. Menjerus, de iure Fisci Civitatibus municipalibus
Competente.
15. a. Hoffmann, de Diffensi iurium, in Succendo Adul-
terii Crimine.
15. b. Hilliger, de Poena Pecuniaria in Delictis Carnis.
16. Klein, Epitome Iuridicum Iudicialis Laminarum
Confessionis, Se ex nefando cum Satana Pactu

Prolem suscepisse humanam.

17. Klein, de Inculpatione et Exculpatione vulnerati moribus.
18. ^{di.} Leyserus, de Crimine Lesae Majestatis.
19. Leyserus, de Officio iudicis, Circa Tormenta.
20. Leyserus, de Immunitate Tormentorum.
21. Ittig, de iudicium Circa Torturam excedentium Emendat.
22. Leyserus, de Confessione extorta.
23. Leyserus, de Exilio, Speciatim revelatione, tum simplici, quam Fugatione Coniuncta, earundem Penarum Indole et effectibus.
24. Carpov, de Infantibus expositis.
25. Liebenthal, de Phylotecis, earum Usu et Abusu. Thom. Bücher
26. Riemer, de iure Foeminarum in Feudis.
27. Neugot, de Allodialis investiturae Renovatione.
28. Hoffmann, de iure Separandi Feudum ab Allodio et Allodio à Feudo.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



DISPUTATIO JURIDICA

Vulgato Dicto

UNUS ACTUS,
NULLUS ACTUS,

GERMANICE,

Sinnmahl / Weinnmahl /

OPPOSITA;

QUAM

IN REGIOMONTANA ACADEMIA

ANNO MDCXCVI.

PRAESIDE

JOHANNE AMSELN,

J. U. D. PROF. PUBL. EXTRAORD. ET SUPREM. IN PRUSSIA
JUDICIOR. ADVOCATO,

HABUIT

HENRICH BREYER, BRUNSV. SAXO.



HALAE MAGDEB. STANNO HENDELIANO, 1735.

DISPUTATIO JURIDICA

UNUS ACTUS

MULTIS ACTUS

SYNOPSIS

IN REGIONONTANA ACADEMIA

JOHANNES AMSELER

HENRICH BRÄUER



IN REGI. PALAT. S. MARII MAG. VINDOB.





PRÆFATIO.



Onscribendæ disputationi ad-
moturus manum, animo in
commodi thematis electio-
nem defixo, habitaque desu-
per diligentiori cum *Consul-
tiss. Dn. Præsidi* disquisitione,
non una, tractatione haud indigna, & haec-
tenus non discussa, deprehendi & mihi enarrari
audivi argumenta, sed, quod prolixiorum dis-
cussionem mereri visa, alii commodiori post
forte emergenti fuerunt reservanda occasio-
ni. Brevitati hac vice litaturo, ne verbosa fie-
ret & excreceret nimium disputatio, ut alio in
negotio monet Imp. Justinianus *pr. Inst. quod
cum eo, qui in alien. potest. l. 39. §. 1. C. de Appell.*
is Juris, qui brevitate se commendabat, eligen-
dus fuit articulus, neque usque adeo vulgaris:
Elicuit autem præfens leve & tenue thema,
tum illa, quæ ante aliquot mensium intervalla

A 2

sub

sub *Consultiff. Dn. Præsidis* tutamine, sub isto rubro, *Unus testis, nullus testis*, vulgo eiu Zeuge, sein Zeuge, hic *Regiomonti* prodiit in publicum Disputatio; tum maxime memorati *Dn. Præsidis, Præceptoris mei & Fautoris ad urnam æstumatisissimi*, doctrina, quam ab ore ejus in *Collegio Institutionum Imperialium & Struviano* pendens hausi, & cum fructu toties applicari audivi, non esse in casuum oblatorum decisione standum, vel *proprio arbitrio*, scientia juris non satis formato aut regulari, neque *unius alteriusve opinioni*, cum nec *communis*, quæ laudatur, tuto semper inherere liceret, multo minus *vulgatis* illis, quæ aut latino aut germanico circumferuntur idiomate, *brocardicis* legis decisivæ esse tribuendam auctoritatem, sed præsidium omnium sine dubio tutissimum quæri ex *legibus*, exque illarum intimis visceribus, justa adhibita interpretatione, esse eruendam veritatem, indeque dubiorum casuum quærendam decisionem, ne aliam obliquam ingressi viam a tramite justo deflectamus nimium, & erremus perniciosè. Subvertantur multa legum tradita, & sanctè constituta, *vulgatis*, errore plerumque vulgi natis,

pro-

proverbis, in regulas juris aut axiomata ver-
sis, & in augmentum majus ad Digestorum ul-
timum titulum de Regulis Juris translatis. In-
ter quam plurima hujus farinae, quæ prostant,
& non incognita esse possunt, recitata in lectio-
nibus pro re nata brocardica, & illud, quod
præsentis disputationis rubrum fert, Unus A-
ctus, nullus Actus, Einmahl ist Reimahl, sæ-
pius ex ore memorati Dn. Præsidis relatum
esse, recordor, inculcatumque toties, si neque
huic vulgato dicto juris legitimum accedat mo-
deramen & intellectus genuinus, periculosum
esse eidem inhærere, tantumque abesse, ut non
manifestam injustitiam & iniquitatem spiret,
quæsitum jus tollat, & malis atque inconve-
niētiis quamplurimis viam aperiat. Quibus
ergo præfens vulgatum dictum juris legum-
que circumseribi debeat cancellis, & quam pa-
rum ei inquam plurimorum occurrentium ca-
ssuum decisione, propitio jure, & sancta justitia
salva, tribui possit, ut eo evidentius appareat,
brevibus id hac dissertatione pro ingenii mo-
du'o & viribus, quibus me metior, sum dedu-
cturus. Te autem B. L. rogo oroque, ut, si
hoc juris argumentum breve & tenue non ar-

riferit, neque satis sub LL. rationum & Dd. autoritatibus deductum esse, legendo intellexeris, indulgeas benigne, nil nobis tam, & propensæ voluntati, quam festinationi & imbecillitati imputans. Ut vere hoc breve opus agatur feliciter justo pietatis zelo & gloriosiss. Imper. Justiniani exemplo *Proæm. Inst. & l. 2. C. de Offic. Præfæcti Prætor. Afric.* Divini Numinis devotissimo pectore imploramus auxilium.

*Une, Triune DEUS, nobis assiste, precamur,
Actus unius quo bene cedat, opus.*

TRACTATIO.

§. I.

DE actu uno, aut potius de *Actus unius* dissertaturi effectu, vulgatique illius germanici, Einmahl ist Reimahl, periculosam destructuri universalitatem, ejusque fallaciam brevibus ostensuri, non necesse esse ducimus in *generalioribus* decidendis vagari longius: iis omnibus missis, ipsi themati deducendo nos potius accingimus.

§. II. Intelligimus sub nostræ disputationis Rubro per unum actum, *factum*, quod semel tantum peractum est, cujusque facti nulla suscepta est ultra reiteratio, aut repetitio. In tali contemplatione nostro themati unum actum seu factum (actus enim vocabulum tam late in jure pater, ut quodcunque factum designet. *L. 17. ff. de Neg. Gest. l. 19. ff. de Reb.*

Reb. Cred. l. 19. ff. de V. S. Conf. Gædd. ad tit. ff. de V. signif. loc. cit. qui actus significatur in materia servitutum. pr. Institut. de Servit. Urban. Prædior. occurrit, hic est plane alienus) vindicamus, actumque unum in licitum & illicitum dispartimur. Utriusque contemplationem suscipiendi, primo loco de licito agemus.

§. III. Equidem non inficiamur, actus aut facti geminationem, reiterationem aut pluralitatem firmiter animi propositum & enixiorem ostendere voluntatem; præsumitur enim plena deliberatio, ubi intervenit geminatio. l. 22. C. de Agric. & censur. l. 22. C. ad Sc. Vellej. nec minus ad actus alioquin invalidi validitatem, beneficio legis accedente, conferre geminationem, si ea ex intervallo accedat. arg. l. 26. ff. de Probat. l. 22. all. C. nam si eodem pene instanti sine temporis intervallo actus geminatus, unus censetur. Nicolaus Everhardi Loc. argum. legalib. Loc. 121. n. 16. Exempla concurrunt (1) in reiterata promissione, quæ jure Prætorio efficacem parit actionem. t. r. ff. de Pecun. const. geminatam fallere fidem Prætori, æquitatem nunquam non ob oculos habenti, iniquissimum fuit visum. (2) In geminata confessione, cui Dd. vim confessionis judicialis & juratæ tribuunt, putantque geminatam confessionem sine expressione debendi causa validam esse non minus, quam judicialem & juratam. Carpzov. p. 1. c. 17. D. 40. Stryck. r. de Caus. in Contr. Sect. 2. c. 7. §. 7. cum alioquin nulla confessio, nulla cautio sine expressa debendi causa valeat. C. si cautio 14. x. de fide instrum. l. 25. §. f. ff. de Prob. omissione causæ omnem confessionem enervante. Menoch. de Præsumpt. L. 3. Q. 66. num. 5. Stryck. all. l. §. 5. Quamvis etiam confessio non acceptata

ptata fatenti non noceat. Gail. *l. 1. O. 55. n. 8.* iterum tamen excipiunt Dd. confessionem geminatam. Card. Tusch. *tom. 4. C. 28. L. G. n. 39.* quæ & ulterius, si intervallum temporis habeat, excludit non numeratæ pecuniæ exceptionem. *l. 4. C. de non num. Pec.* non est simplex confessio & unius eadem autoritas. (3) In *geminata mulierum pro extraneis intercessione*: Mulieribus semel in fidejussionem consentientibus rubro nostræ disputationis succurritur. Etenim iis S*C*r*i* Vellejani beneficium non denegatur aliter, quam si intercessionem semel jam tum factam geminaverint denuo, & quidem a primo intercessionis die biennio lapsa juxta *l. 22. C. ad S*C*r*i*. Vellej.* a quo tempore hujuscemodi geminata intercessio vires demum sumit, quod propter creditorum concursum summe esse notandum, monet Berlich. *p. 2. C. 19. n. 8.* si intra biennium subsequuta intercessionis geminatio, non operatur, neque memoratum muliebri excludit beneficium; destituitur æque geminata mulieris intercessio & tum suo effectu, si pro marito facta, per *aur. s*e* qua mulier. C. ad S*C*r*i*. Vellejan.* (4) In *valida rerum propter Nuptias denatarum alienatione*, si ad eam geminatus mulieris accedat consensus. *Nov. 61. c. 1.* Tribuunt aliqui Dd. nec infimi commatis, Ludwell. *D. 6. Th. 12. L. C.* Hopp. *Comm. Inst. quib. alien. licet vel non fundi dotalis alienationi ex geminato uxoris consensu validitatem. arg. rext. all.* a quibus tamen alii propter textum in *pr. Inst. quib. alien. licet. l. 23. C. de Fur. dot. l. 21. C. de Donat.* dissentiunt, quos inter Lauterb. *tit. ff. de Fund. dotal.* Strauch. *diff. 3. th. 14.* Eckolt. *tit. ff. all.* Rauchbar. *p. 1. Q. 37.* & alios deprehendimus.

§. IV. Ad hujuscemodi actus validitatem & subsisten-

itentiam ex geminatione demum aut reiteratione, propitio jure, habentes trahi, inque iis verificari videtur Disputationis præsentis rubrum, Einmahl ist Keimahl: exinde tamen non potest simplicitati aut unitati, vel *actui uni* semel perfectio sua subtrahi vis & efficacia, quæ ipsa se pro actuum aut factorum diversitate exerit, & tam in *licito uno actu*, quam *illicito* conspicitur, ut brevis subjuncta magis magisque testabitur deductio.

§.V. Statim autem advertimus, *actum licitum* non esse *unius generis* aut *qualitatis*; Etenim interdum actus ita cernitur esse comparatus, ut *omnem omnino reiterationem excludat*, & *unicum* esse oporteat, degeneretque in *illicitum*, si ejus adhuc semel suscepta fuerit reiteratio: Exemplo prostat evidentiori *Baptismalis actus*, qui semel collatus amplius reiterari non potest, aut debet: Eundem temere reiterans, maximi peccati, aut inexpiabilis facinoris, divinæque læsæ Majestatis habetur reus. Quod deducere fufius, non tam *Factorum* est, quam *Theologorum*: a quibus postquam, S. Sancto Codice propitio, peccaminosa hujus sanctissimi actus semel peracti est demonstrata reiteratio, gravissima quoque in transgressores, *germ. die Wiedertäufer und Wiedergetaufte*, humanis legibus est sancita pœna: de qua legi omnino meretur *z. z. C. Ne sanctum baptismum reiteration. Recept. Imper. de A. 1529. ff. Nachdem auch kÿrlich, ibi: Das alle und jede Wiedertäufer und Wiedergetaufte, Mann- und Weibes-Personen vom natürlichen Leben zum Tode mit Feuer, Schwert, oder dergleichen nach Gelegenheit der Person, ic. gerichtet und gebracht werden. add. Recept. Jap. de A. 1530. §. 155. ff. Nachdem auch Churfürsten und Stände, ic. Carpz. Prax. Crim. Q. 93. n. 44. ubi referret exemplum*

emplum in scemina, quæ ob *baptismum tribus vicibus*, so-
 lius lucri causa, allein um des Mathen-Geldes willen, *reperi-*
rum, pœna fustigationis & perpetuæ relegationis est
 punita. Plane impie ergo ad actum baptismalem, si de
 eo *semel legitime & rite*, forma a Christo præscripta ser-
 vata, peracto constet, rubrum nostræ Dissertationis,
 Einmahl ist Reimahl, trahitur, cum divina SS. Trinitatis
 efficacia baptismalis actus semel peractus, tantum ope-
 retur, quantum si indies, aut de momento in momen-
 tum repetitus: personæ *baptizantis* non attenda *qualita-*
ze: sive Judas, Paulus, improbus aut pius, Sacerdos aut
 Laicus, masculus aut scemina, baptizet, Christus est, qui
 peccatorem lavat: integritati & efficaciam hujus Sacra-
 menti, per personæ improbitatem & qualitatem nil
 decedit: Baptismus propterea non fit melior, quod per
 meliorem, nec deterior, quod per deteriorem confer-
 tur. *c. 25. de Consecrat. Dist. 4. Rittersh. de Diff. J. C. & C.*
L. 7. c. 12. & lib. 2. c. 20. Ubi baptismi semel collati certi-
 tudo deficit, aut in collatione forma a Christo præscri-
 pta neglecta, sine reiterationis periculo & pœna, susci-
 pitur baptismus. Etenim juxta dictum *Augustini in*
c. 112. & 113. de Consecrat. dist. 4. non potest dici reiteratum,
 quod nescitur esse factum: & juxta *J. Crorum* brocardi-
 cum, quod non est factum legitime, ita est habendum,
 ac si factum non esset: In *dubio casu* satius est baptismum
 reperere, quam de semel suscepto, tam ratione quiddi-
 tatis, quam veritatis, per omnem vitam dubitare. Conf.
 Dedek. *V. 2. in App. p. 11 S. 5. n. 2.* Non est, nec intervenit
 præsumptio temeritatis, ubi est diligentia pietatis. *C. 13.*
de Consecr. D. 4.

§ VI. Alii rursus ex actuum licitorum numero ita
 com-

comparati sunt, ut in *diversis aliisque personis eodem tempore* excludant *reiterationem*, geminationem autem sive *reiterationem in iisdem* non requirant, sed plenissimum habeant robur semel tantum perfecti, ut nec plus juris & vinculi accipiant, etiamsi toties quoties peracti & reiterati. Intendimus hic & exempli loco adducimus *Nuptias & Sponsalia* semel contracta, consensuque perfecta, a quibus rite semel initis, non permittitur amplius recedere & actum reiterare. Semel hic consensisse nocet, semel hic impetrasse consensum prodest & sufficit. Non *nuptiis* tantum, sed & *sponsalibus* inest nexus, quem rumpere & violare velle, neque *Salvatoris Nostri* pronunciatum, quod & eo, quo *Jctus Mev. p. 5. D. 210.* explicat, modo, ad *sponsalia* pertinet, quod *DEUS conjunxit, homo non separet*, permittit, neque jus, quod ex præstito semel consensu invicem est quæsitum, patitur. *Conf. Mev. p. 6. dec. 61.* In his jurium fundamentis niti firmiter, & non consummandorum sponsalium vinculum ponere sponso sponsoque videmus, quoties eorundem unus aut una a semel contractis resillire præsumpserit sponsalibus, non injuste querentes & allegantes: *Sie, oder Er hat einmahl Ja gesagt, oder die Ehe zugesaget, der Vater, oder die Mutter hat einmahl darinn gewilliget. Contenti- re initio nuptis & sponsalibus tam ratione contrahentium, quam eorum, in quorum contrahentes sunt potestate, est voluntaris, sed perseverare in consensu est necessitatis. L. 5. C. de Oblig. & Action. Est odiosa variatio arg. l. f. f. C. de Modo Mulctar. Mev. D. 61. all.* Est exclusa in negotio semel perfecto penitentia, ubi perfectio a solo dependet consensu. Quod semel placuit, amplius non potest, nec debet displicere. *C. quod semel. 21. de Reg. Jur. in*

620. Hunc indissolubilem ex semel præstito hic confertur
 suorum nexum Veteres isto vulgato, freyen ist kein
 Pferde-Kauff, censentur nobis indicasse, voluisse que, ut
 si in ullo negotio, hic sane, quod statuendum est semel,
 deliberetur diu. Civilia *consensualia* negotia utriusque
 partis voluntate contraria dissolvuntur. *f. f. 7. quibus
 mod. toll. oblig.* spiritualibus, quibus matrimonia Cano-
 nistæ annumerant. *C. 2. x. de Translat. Episc.* sacra Scri-
 pturæ veneranda obstat autoritas. Emptori, ne res
 empta indies aut perpetuo eidem objiciat stultitiam,
 est integrum abjicere, vendere & quocunque modo
 permutare rem semel emptam: sed res est alias cum *se-
 mel copulata, si est mala*: indissolubilis hujus nexus nec
 ignaræ mulieres, vanis maritorum de expellendo, aut
 divertendo jactatis minis impudenter occurrere sci-
 unt: Hast du mich genommen, so must du mich eruehren und
 behalten. Facta ergo semel desponsatione ab eadem re
 non magis integra, resilire cupientibus sponsis in no-
 stro axioma, Einmahl ist Keinmahl, nullum plane quæ-
 ritur præsidium; unica promissione & fortissima voce,
 Ja, semel deliberato & serio effusa, tantum operante,
 quantum geminata promissio, & toties repetitæ affir-
 mationes. In *diversis personis* sponsalitiæ promissionis
 uno eodemque tempore facta reiteratio non tantum
 est illicita, sed & sub infamiæ & arbitraria pœna hodie
 prohibita. *l. 1. ff. de his qui not. infam.* Brun. *ad l. 13. vir. all.*
 Lauterb. *vir. ff. de Sponsalib.* Carpz. *pr. Crim. p. 2. Qu. 67.*

§. VII. Quæ de validitate sponsaliorum ex præstito
 semel consensu, jureque inde alterutri contrahentium
 quæsito, & ab eo dependente impermissa retractione
 dicta sunt, ad *reliqua civilia negotia* non incommode vi-
 de:

demur extendere. Quotiescunque enim & in his semel interverit consensus, mutua conventio, & acceptatio, valida est obligatio, & altero contrahentium invito, est semel facta promissio irretactabilis, licet nulla accesserit geminatio, nulla solennis stipulatio, cujus vis hodie in nudum est transfusa pactum, quod in contractibus innominatis hodie etiam, ut jure Romano stipulatio, excludit pœnitentiam, tradente JCo Stryck. in *Tr. de Caurel. in Contr. f. 3. c. 5. f. 4.* ex quo satis, nobis etiam tacentibus, patet in contractibus omnibus atque singulis (excipimus tamen mandati *f. 9. f. de Mand. societatis f. 4. f. de Socier. Depositi l. 1. f. 45. ff. Depof. contractum*) consensu semel perfectis pariter non nisi frustra ad rubrum Disputationis nostræ, Einmahl ist Keinmahl, provocare posse, firma ex præstito semel consensu existente obligatione, aut ad implendum contractum, aut ad præstandum interesse.

§. VIII. Cæterum nostræ considerationis ex actibus licitis non tam sunt illi actus, qui mutuo deliberatum utriusque partis præsupponunt consensum, exque eo sunt statim perfecti, ut nulla indigeant amplius reiteratione, sed maxime illi actus, qui *putativo jure b. f. sunt*, & reiterationem, quæ tamen non est subsequuta, admittunt, v. gr. dum quis putat sibi jus competere, & fas esse, actum aliquem in sui commodum exercere, illumque semel b. f. exercuit, adversario patiente & non contradicente; aut dum quis putat sibi necessitatem incumbere in alterius commodum aliquid faciendi, aut alteri quidpiam præstandi, & id ipsum semel fecit & præstitit, altero id tanquam debitum acceptante, aut dum quis actum unum præjudiciale juri & privilegio plane contrarium semel tantum suscepit, aut alias unus tantum actus peractus, & plures non inter-
venerunt.

§. IX. Quamvis hujus generis *actus unus* putativo competenti jure semel b. f. exercitus & præstitus, plenum completumque jus, quoad proprietatis causam, & inducendam inde perpetuam obligationem, non efficiat, inque actu uno *proprietatis victoria*, propitio Disputationis nostræ rubro, Einmahl ist Reimahl, poni non possit, cum nec plures reiterati actus proprietatem, si soli, jus plenum concilient, & obligationem inducant, interim unius hujuscemodi actus exercitium omni non carere effectu, multumq; quoad *quasi possessionis* causam & quoad dependentes ab ea effectus, inque *possessorio* operari, maleque huc contra, Einmahl ist Reimahl, applicari & trahi, subsequencia edocebunt, tuebunturque exempla.

§. X. Ut vero multa complectamur paucis, binas formamus, & exemplis præmittimus *regulas*: quarum (1) est hæc: *Quicumque unicum actum semel in sui commodum putativo aut prætenso jure. Cōf. l. f. ff. quemadm. servitutes amittantur. l. 41. ff. de Acq. & Amitt. poss. l. 1. §. 10. 19. ff. de Aqua quotid. & æst. adversario pariente, sciente aut supine ignorante exercuit, is eo ipso in possessione vel quasi constituitur, ad hunc effectum, ut ei actus semel ante tantum suscepti exercitium sit tam diu relinquendum, usque dum adversarius in peritorio obrinuerit, & non competere probaverit. Cum enim, ut ex l. 8. §. 3. ff. si servit. vind. Bartolus colligit, ex uno actu sequatur possessio, & alii J. Cr. & Dd. Menoch. Consil. 948. n. 30. Borchoid. c. 9. Q. 1. Berlich. Decis. 55. n. 2. huic Bartoli assertio sua adjiciunt vota & adstipulentur, non possumus quoque non, possessionis commodum ei, qui unicū actum semel exercuit, tribuere, injustum esse censentes, quasi possessionis jus, ex unico actu quæsitum, & abs eo dependentes effectus, de quibus *infra pluribus*, ex per verso disputationis nostræ
ru:*

rubricæ, Einmahl ist Reinnahl, intellectu, & applicatione, denegare aut præscindere velle.

§. XI. Regulæ præmissæ *exempla potiora*, omnia namque recensere pagellarum angustia & instituti ratio non tulit, ponimus *sequentia*, quæ hac vice occurrunt investigantibus.

§. XII. Exemplum (1) cernitur in eo, qui unica vice *actum electionis* aut *presentationis* exercuit, qui eo ipso, in quasi possessione juris eligendi, aut juris Ecclesiastici constituitur: ut, si duo super hoc jure contendant, aut plures, is defendatur, qui ultimum, quamvis *unicum*, pro se allegare valeat actum, quod colligunt ex *C. cum Ecclesia Surrina. x. de Causa possession. Brunn. ad l. 1. ff. de Trin. Actuque privat. n. 5. Covarr. ad cap. possessor. de Reg. Jur. in 6to. rom. 1. p. 2. ibique all. D. J. Mascard. de Probat. Concl. 1186. n. 6. Dn. Stryck. in Diss. de Decreto Interimistico cap. 2. n. 53.*

§. XIII. Exemplum (2) invenire licet apud Reink. *de Reg. Sec. & Eccles. l. 1. Cl. 4. c. 1. n. 26. 27.* in eo, qui semel ad *Sessionem & Votum in Imperii comitiis* est admissus, quem *unico* isto actu comparationis vel consultationis, in quasi possessione status Imperii constitui putat *all. Reink. cum nemo admittatur ad consilium & Senatium Imperii, nisi sit consors Imperii, & pars Curia Imperialis. Reink. alleg. Uti est infallibile indicium, probatio, & vera litera characteristica, aliquem esse Imperii statum, si quis jus suffragii & sessionis in comitiis Imperii habeat. Recess. Imper. de A. 1548. §. Wann auch einen, &c. Sweder. introd. Jur. publ. part. spec. Sect. 2. §. 1. §. 3. Vitriar. Instit. Jur. publ. l. 1. tit. 12. pr. ita non minus ex eo, quod quis ad comitia semel fuerit vocatus, simulque ad consultationem & vota admissus, præsumptio capi potest, talem pro statu Imperii esse ha-*

habendum, & in status imperii quasi possessione esse relinquendum, usque dum contrarium fuerit legitime evictum. Conf. Zolners *Tract. de Reg. Rom. Election.* p. 152.

§. XIV. Exemplum (3) occurrit in *jure Sessuræ & præcedentiæ*, quod per *unicum actum* acquiritur: docente Nolden. *de Jure Nobilium* c. 10. n. 176. & c. 19. n. 83. Quantis motibus inter *Imperii Status*, ut aliorum *Principum* ac *Regum* aulas prætereamus, olim agitaræ, & adhuc hodie quæstiones *de præcedentiæ* agitentur, & quam sæpissime de iis, ad tollenda inde pullulantia non una incommoda, finiendis, deliberatum fuerit, satis ex publicis Imperii actis & actitatis unicuique patet: sed hætenus in vanum; dum in eo, quorsum sit, quo uni præ altero prærogativa relinquantur, respiciendum? non potuerunt Imperii status convenire. Quibusdam *generis familiaeque antiquitati*, aliis *potentiæ ac divitiarum amplitudini*, nonnullis *nobilioribus insignibus*, pluribus *virulorum multitudini* primas præcedentiæ concedendas esse cupientibus & affectantibus; pluribus contra putantibus, maximum in sessionis prærogativa momentum obtinere debere *quasi possessionem*, & ad eam maxime esse respiciendum. Imperator ipse ante aliquot annorum decursum. *sortis iudicium*, quo tandem una via tollerentur perniciosæ præcedentiæ lites, das die Session- Streite einem verdächtigen Voss vertrauet würden, und was hierdurch das Glück gebe, jedes Theil damit vergnügt bliebe, eligendum esse duxit, sed & hæc via displicuit, admittumque interim provisionale *alternationis remedium*. Conf. *all. Swed. p. spec. 1. cap. 10. §. 16.* Reink. *de Reg. secul. & Eccles. l. 1. cl. 2. c. 10. n. 20.* Carpz. *decis. 7.* Hodie inter *privatos* æque graves, non tamen cum æquali publici boni præjudicio conjunctas de interesse honoris & præcedentiæ

tia: existere controversias, quotidiana testis est experientia: de quo Carpz. *all. l. conqueritur*, putatque, a privatius jus illud *proprietatis* ambitiosius, quam justum est, appeti, ac contentiosius, quam conducibile, vindicari: interim præcedentiæ contentionem non omnem rejicit, quam & nos, modo absit ambitiosus tumor & insolentia, justam esse censemus. arg. *z. z. C. ut ordo dignit. servetur*. Menoch. *Conf. 51. n. 1. & 902*. Decian. *Conf. 7. n. 71. 72. v. 3*. Solent de statu & præcedentia cum aliis contententes, & primatum præripiantibus aut præoccupantibus cedere nolentes protestari, *de altero ex uno alterove præcedentia actu non quærendo jure*, qua protestatione cujusque jus servatur saluum & integrum, fierique non videtur, aut creditur, quod sit, quodque factum impræsens est, ut non factum æstimatur. Imo quo eo magis cuique maneat integrum & interesse honoris saluum, & eo minus etiam *unicus actus* præcedentiæ cum protestatione admissus nocere possit, solent de præcedentia dubii & contententes ex conventu *discedere*, aut plane *non comparere*. Is enim actus, quamvis unicus, cujus alterius accedit consensus, facienti jus tribuit. arg. *C. quod semel de Reg. Jur. in bro. & l. 5. C. de Oblig. & Act.*

§. XV. Exemplum (4) suppeditat nobis Mevius JCtus p. 7. *Decis. 168*. ubi refert, in causa viduæ contra Braxatorum Collegium, der Brauer-Compagnie, judicatum, viduam, quæ *unicum cerevisia braxationis actum* exercuerat, esse defendendam in possessione, rejecta objectione, *actum esse unicum*, cum ille, modo non vitiosus, ad habendam & probandam possessionem sufficiat, & *unicum*, qui patitur, alterum & sequentes, durante lite, ut patiatur, cogendus sit: neque in memorato casu, deducente *all. Mev. clandestinarius*, objecta *exceptio* profuit, cum enim

C

bra-

braxationis cerevisiæ actus palam esset exercitus, & ita comparatus, ut remotis aliis fieri non potuerit, non potuit haberi clandestinus. *Mev. p. 7. D. 70.*

§. XVI. Exemplum (5) diffundit sese in *materia jurisdictionis*, cujus quasi possessio ex communi DD. opinione atque traditis, unius actus exercitio acquiritur. *Mev. p. 7. D. 291. & p. 2. D. 314. n. 5. Mascard. de Probat. c. 948. n. 6. Brun. ad l. 8. ff. si servit. vind. Felin. in c. auditis n. 19. de Præscript. in tantum, ut unius actus jurisdictionem spectantis exercitium tribuat non tantum possessionem in illi specie, aut actu exercito, sed & quoad reliquos actus, aut universalem jurisdictionem, & unius possessio jus in universon generet, cum & jurisdictio sit universalitas. Dd. *all. Reink. de Reg. Sec. & Eccles. l. 1. cl. 3. c. 3. n. 43.* modo tamen iste unicus actus, a quo universalis jurisdictionis possessio dependere asseritur, fuerit quoque *universalis*, & contemplatione totius generalis jurisdictionis interpositus, denotetque animum facientis fuisse, universaliter jurisdictionem possidere. *all. Mascard. & Felin. & modo etiam nemo præterea in illo loco in possessione fuerit jurisdictionis.* Si enim alius jam ante in ejus possessione, tunc non nisi in illo actu exercitium jurisdictionis acquiritur, in quo jurisdictio exercita, quod arg. *l. 18. ff. de acquir. & amitt. Poss. C. auditis & in c. cum olim x. de Præscript. colligunt. Conf. Mascard. all. Mev. all. loco.* Qui uno actu jurisdictionis usus, is simul quoque omnibus actibus, qui possunt sub ea jurisdictionis specie comprehendi, videtur pariter usus, æque ut is, qui unam aliquam meri Imperii pœnam irrogavit, v. gr. capitis amputationem, omnium aliarum ad merum Imperium pertinentium pœnarum infligendarum potestatem sibi comparasse judicatur. arg. *l. 18. ff. de Servit. Rust. prædiar.* Qui enim pro parte ejusmodi jure utitur, is totum*

tum id usurpare intelligitur *l. 8. in f. ff. quemadm. servit. amitt. l. 20. ff. quib. mod. usufr. amitt.* Harpr. *ad §. 12. & 13. §. de Rev. divis. n. 256. sqq. & ad pr. §. de Usucap. n. 245. sqq.* in omnibus universalibus possessio unius speciei ad omnes trahitur similes. Vincent. de Franch. *D. 397. n. 8. Mev. part. 4. D. 291. n. 4.* Si volunt per unicum piscationis, aut venationis actum, aliquem in quasi possessione totius juris vendandi & piscandi constitui. Klock. *de Contribut. c. 3. n. 202.* Harpr. *ad §. 12. & 13. §. de Rev. divis. n. 255.*

§. XVII. Exemplum (6) depromimus ex *l. 1. §. 4. ff. de Aqu. quor. & æstiv.* juxta quam in quasi possessione ductus aquæ quotidianæ defenditur, qui unica nocte vel die ea est servitute usus: Aquæ enim quotidianæ ductus, quia inter eos, qui per modum familiaritatis, aut facultatis fieri solent, non refertur actus. *arg. l. 4. C. de Servit. & Aqu. hinc eius quasi possessionem unico actu acquiri volunt, cum in reliquis servitutibus præsumptio capi possit, aliquem potius jure familiaritatis esse usum.* Brunn. *ad l. 1. §. 4. ff. de Aqu. quotid. & æstiv.* Menoch. *de Remed. retinend. poss. 5. n. 10.* ubi juxta Bartoli doctrinam, quoad servitutum possessionis quasi acquisitionem, servitutum distinguit species. Aut enim per illas in alienum nihil fit, nihilque immittitur, aut aliquid in alienum fit: ubi nihil fit, ut in servitute alius non tollendi, in hujus quasi possessione neminem esse prius, quam alterum ædificare volentem prohibuerit, & alter acquieverit. *Conf. Carpz. l. 2. c. 4. D. 13. ibique all. Dd. Wurmbs. p. 8. l. 1. tit. 16. obs. 5.* sufficit autem in hac negativa servitute probare unum tantum actum prohibitionis, ad hoc, ut quæratum quasi possessio: Ubi aliquid fit, tunc fieri aut per modum facultatis, ut ire per fundum alienum. Mascard. *de Probat. C. 1221. n. 84.* *Conf. Surd. Conf. 127. n. 81. & c. 130. n. 17.* aut non posse intelligi fa-

Etum per modum facultatis, ut signum immittere, aut a
quam ducere. priori casu non acquiritur quasi possessionem,
nisi per 30. dies iverit. l. 1. §. 2. ff. de leiner. Actuque privar. ca-
su vero posteriori, ex solo actu, & quo unico acquiritur quasi pos-
sessione. l. all. 1. §. 4. l. 8. §. 3. ff. si Servit. vind. Malcero. de
Probat. C. 1221. n. 4. B. ad l. all. ubi annotat, non esse
mirandum, ex signi habitatione in alieno acquiritur quasi pos-
sessionem servitans, cum signi habitio sit actus unus
continuus.

§. XVIII. Regula secundam ita formamus: *Quicum-
que unicum actum in sui praejudicium adversariique commodum
ex obligatione, ex debito putativo jure semel peregit, adversario
& ita acceptante, is adversarium in possessione extendi consti-
tuit, sequere debitorem facit, usque dum, se non debere, nec ad
quidquam praestandum obligatum esse, liquido probavit. Ex u-
nius enim facti aut rei praestatione alteri jus & quasi pos-
sessio acquiritur, quae, ut ex superioribus jam patet, hunc
effectum in futurum relinquit, & in negantem, contra
quem ex unius actus libero exercitio, aut rei praestatio-
ne oritur praesumptio, probandi onus devolvit. Quam
metuant sibi ab unius actus primo & unico exercitio, aut so-
luti, vel rei unica & prima praestatione tolli, satis eorundem
testatur non ignota exceptio, qua, quoties Nobiles ope-
ris servitiusque debitis jam praestatis, sique pens. abso-
luto, ultra quid exigant, ut scilicet: Wir wollen es gerne
einmahls thun, aber wir besürchten uns, es werde eine Gerechtig-
keit daraus, thun wir es einmahls, so müssen wir es mehremahls
thun &c. Licet ille metus juris inde oriendi in iudicibus
v. nus videatur, cum actus ita dicti facultativi & urbanis-
saris, neque in peritorio, neque in possessorio, neque in fuc-
tuum jure aut obligationem pariant, quancumque etiam
ut tempore fiant. Klock. v. 1. c. 27. n. 265. §. c. 50. n. 254. & sola
pro;*

protestatio. *se velle hoc semel precario, aut ex urbanitate, non vero ex debito aut obligatione facere, jus conservet & præjudicium in futurum avertat; interim tamen non minus recte facere videntur rustici, si hic nimium non indulgeant facilitati & civilitati, successu enim temporis, ubi illi, qui has extraordinarias operas ex civilitate præstiterunt, & exegerunt, mortui fuerint, & protestationis factæ documenta amplius non extiterint, successoribus semel facta operarum præstatio admodum nocere posset, cum precarii probatio Rusticis, qui semel operas præstiterunt, post incumbat, & tunc demum familiaritatis causa præsumatur, si alia causa non appareat. Menoch. de A. F. Q. l. 2. c. 2. C. 160. num. 20. Manz. Cent. dec. q. 28. n. 27. B. univ. ad l. 41. ff. de acq. & amit. Possess. Carpzov, p. 2. c. 4. D. 3. in præj. ibi: Da sie aber dennoch solche Dienste nicht aus Schuldigkeit, sondern aus Gutwilligkeit und zur Bitte verrichtet hätten, so die Unterthanen auch dasselbe wie recht beybringen und erweisen möchten, in massen ihnen dann zu thun oblieget &c. Quo actus excluderemus familiaritatis, urbanitatis aut civilitatis, & innueremus, horum aut unius eorundem exercitio non tribui alteri jus, est in nostra regulæ juris putativo facta mentio, eoque ipso requisitum, ut actus unius præstatio ex putativo debito jure processerit, & ita ab altera parte acceptatus. Conf. hic omnino Stryck. in eleganti differt. de Civilitate nociva c. 3. §. 19. & Menoch. de Arb. Judic. Q. l. 2. c. 2. c. 160. unde ad hæc illustranda peti possunt exempla.*

§. XIX. Nos iis brevitatis amore missis, magis de regulæ nostræ accommodis solliciti sumus exemplis: Suggestit nobis *primum* Mev. p. 8. Decis. 63. in casu, ubi ultra anteriorem consuetudinem semel tantum & unico actu major præstatio decimarum facta, & post motam contro-

versiam prima orta quæstio, quid in *possessorio* judicandum, utrum pendente super jure argumenti lite, hæc? an olim consueta præstanda esset? Diligenter re in supremo *Wismariensi* Tribunali expensa, existimatum est, ad *possessorium* illum *unicum actum* sufficere, & ex eo quæsitam esse possessionem, quando consensu debitorum iste actus processerat, & non prius impugnatus, quam cum deinde reiteraretur; Ejusmodi actum, etsi *unicus* sit, si quietus & approbatus, transferre possessionem, & exorta deinde lite, nihil esse innovandum, sed donec in *peritorio*, de jure quæstio terminabitur, esse dominum in exactione simili defendendum, & debitorem ad eandem simul condemnandum, putat *Mev. all.*

§. XX. Exemplum *secundum* est in eo, qui semel *collectas* solvit, qui hac unica solutione alterum in quasi possessione juris collectandi constituit. *Mascard. de Probar. C. 1186. n. 12.* & in eo, qui *pensionem* semel solvit, qui pariter per *unicam pensionis solutionem* alterum accipientem in possessione juris exigendi constituit. *Mascard. de Probar. all. l. & Concl. 1221. n. 5.* & eam recipiens eo ipso probare valet possessionem rei aut fundi, licet *unica tantum fuerit solutio.* *Mascard. all. C. 1186. num. 12.* sicut enim ex *fructuum perceptione* possessio probari, arg. *l. 21. C. de acq. & amitt. Poss. l. 48. ff. de Solut. & ex unica fructuum perceptione* aliquis Dominus præsumi solet; ita quoque ex solutione pensionis unica possessionem probari contendunt, cum loco fructuum succedat pensio, & fructus civilis sit. *Menoch. de retinend. Possess. remed. 3. n. 567. Mascard. all. l. n. 4.*

§. XXI. Simili modo *tertium* exemplum quærere quis posset in *debitore*, qui *semel usuras solvit*, qui creditorem *unica ista usurarum solutione* in possessione juris exigent.

gendi in futurum constituisse videtur, cum enim nemo suum jactare præsumatur, ideo nec sine causa solvens aliter, quam ex debito, præsumitur solvisse. *l. 15. ff. de Cond. in deb.* nec potest de injuria conqueri, qui juxta eum statum censetur, & damnatur, in quo reperitur: juxta illud vulgatum: *qualem te invenio, talem te judico*: Qualitatem, quam quisque assumit, & in qua reperitur, Judex non fecus, ac circa res possessionem sequi potest. Est debitori, contra quem, ex unica usurarum solutione, obligationis oritur præsumptio, salva in contrarium probatio, & indebiti deductio. Sed dum hæc asserimus, non tam leges Conf. *l. 1. C. de Fideicommiss. l. 28. C. de Usur. l. 6. ff. eodem* experimur contrarias, quam Doctorum autoritates. Conf. Menoch. *de Pras. l. 3. pras. 131.* Gilken. *de Præscript. p. 1. m. 1. c. 4. per tot.* interim hætenus non inducimur, ut omnem plane effectum unicæ usurarum præstationi auferamus aut denegemus. Non quidem inter juxta LL. ad quas provocatum ante, usurarum præstatio, earundem obligationem, præsumptio tamen obligationis per eas non videtur excludenda: Nisi illa, quæ a jure plane non præsumuntur, *facta semel usurarum solutione*, præsumere, invita Jurisprudencia, malimus, aut aliam fortiozem allegare possimus solutionis præsumptionem. Oportet usurarum semel factæ solutioni qualemcunque tribuere effectum, maxime *modiæ moribus*, quibus *ex nudo pacto*, æque firmiter, ac Jure Romano ex *stipulatione* demum, debentur usuræ, exactioque usurarum non adeo exosa res habetur, paucis etiam hoc seculo existentibus, qui mutuam pecuniam sine usuris credant & aliorum necessitati gratis, nihil inde sperantes succurrant: sed hæc deducere fusius, fines, intra quos hanc dissertationem arctavimus,

mus, non permittunt. Itaque dum brevitati litamus, plura exempla non accumulamus: cum de similibus sic capiendum iudicium idem.

§. XXII. Dum exemplis allatis evictum satis, *unicum actum juris quasi possessionem tribuere*, hic ulterius declaramus, nos requirere (1) *actum perfectum*; actus enim, qui debet iuris tribuere effectum, perfectum esse oportet, non vero inchoatum esse sufficit. Conf. Menoch. q. 21. l. 1. de Præsumpt. (2) *actum non vitiosum, sed quietum*. Qui clam, vi, vel precario unum actum exercuit, & ita vitiosum, illi ex eodem contra eum, abs quo vitiose possidet, possessio non acquiritur. l. 1. ff. *uti possidet. l. 6. pr. ff. de acq. Possess.* Mascard. de Probat. C. 1197. n. 9. nisi post approbatus; actus enim licet initio violentus, tamen ubi postea approbatus, ad possessionem acquirendam sufficit. Non enim videtur factum, quod non durat factum. l. 4. §. 12. ff. de Usucap. l. 4. ff. *ut in possess. lega. l. 2. §. 4. ff. quibus ex causis in possess. earum*, & ejus, qui passus est vim, in actum violentum consensus purgat metum & tollit vitium. l. 187. ff. de Reg. Jur. Mey. p. 8. Decis. 64. (3) *legitime probarum*: censetur probatio, substantia & anima iudicii: & inde omnino necessaria, ne ex defectu probationis & jus deficiat. l. 30. ff. de Legit. Tutel. Mey. p. 1. D. 119. in fin. Berlich. p. 1. C. 36. n. 1. Quanquam autem quamplurimi sint Dd. qui in possessoriis semiplenam admittunt probationem per *unicum testem* factam: de quo late agit Mascard. de Probat. v. 3. C. 1205. & actum quoque est a Dn. Præs. in Disput. de Teste uno nuper hic habita. §. 9. volunt tamen, quod, quoties tractatur de probanda possessione acquisita per *unicum actum*, plena & concludens requiratur probatio, annotantibus Dd. Joh. Aloysio Ricio & Bartolomæo Nigro
in

in addition. ad Mascard. Concluf. v. 3. c. 122. n. 4. cum & regulariter omnis actus duobus testibus sit probandus. l. 12. ff. de Testib. conf. all. Dn. Præsidis Disputar. Menoch. de Præsumpt. L. 1. q. 51.

§. XXIII. His ita quoad actum unum se habentibus & asserta ex uno actu quasi possessione, non possumus quoque non largiri quasi possessionis effectum: (1) itaque in quasi possessione juris incorporalis ex unico, quieto & probato actu constitutis applicamus *interdictum uti possideris*: quamvis enim *Tirectum* in fundi & rei immobilis possessione turbatis accommodetur, utile tamen & iis datur, qui in quasi possessione jurium incorporalium molestantur & inquietantur. Conf. l. 8. §. 5. ff. de servit. vindicetur. Hopp. comm. Instir. ad §. 3. §. de Interdict. & Dd. ad rit. ff. uti possider. (2) Absita per unicum talem actum quaesita quasi possessione arcessimus effectum *præscriptionis*, quæ requirit possessionem, cum sine ea nulla sit præscriptio. l. 25. ff. de Usucap. c. sine possessione 3. X. de Reg. Jur. in 610. Carpz. l. 1. Resp. 66. rit. 7. n. 11. ad præscriptionem ergo possessionem ex unico actu quaesitam sufficere arbitramur, ut tempore legitimo aliisque, quæ requiruntur. Conf. Mascard. de Probar. v. 3. Concl. 1221. concurrentibus, rerum incorporalium perficiatur præscriptio. Wesenbec. Conf. 18. n. 18. (3) Possessioni huic vel quasi & illum tribuimus effectum, ut ab onere probationis releveret, & idem in adversarium devolvat. Est hic effectus & possessionis commodum in signe: cum enim conjectura sit, eum, qui possidet, jure possidere, fit, ut possessio in suo loco remanere debeat; nisi actor suam legitime probavit. Conf. §. 4. Inst. de Interd. Neque hanc ab onere probandi revelationem tribuit in corporalibus tantum vera possessio, sed & quasi possessio in incorporalibus, cum & pro eo, qui in quasi possessione alicujus qua-

D

lita.

litatis, tam personalis, quam realis, sit capienda præsumptio, ut ab onere releveretur probandi, eo onere in adversarium potius translato. Non quidem in hanc doctrinam, & hunc a quasi possessione in incorporalibus derivatum effectum, unanimi calculo votisque concordibus condescendunt Dd. sed non obstante ista quasi possessione, onere probandi gravant possessorem: ut videre licet ex iis, quæ habet Mascard. *de Probat. V. 3. C. 1221.* & ex eo Carpz. *L. 1. tit. 7. Resp. 67.* attamen in puncto juris existimamus, hætenus esse verius, & quasi possessionem, e. gr. in servitutibus, ab onere servitutis probanda releveræ, & illi probationem libertatis, qui in ea se fundat, & negatoria experitur actione, incumbere, altero in quasi possessione constituto. arg. *l. 8. §. 3. ff. si servit. vindicetur. l. 14. ff. de Probat. l. 7. §. f. ff. de Liberal. causa. l. 8. C. de Servit. Vinn. ad §. 2. Inst. de Action. Lauterb. Comp. Jur. tit. Si servit. vind.* Est, quibusdam ita tradentibus, major vis præsumptionis ex quasi possessione, quam illius præsumptionis ex libertate, quod quælibet res præsumatur libera: si enim res sua est, quare patitur eam ab altero possideri, nec enim præsumitur suum jactare. *l. 25. §. 1. ff. de Probat.* Pro conciliatione tamen collidentium invicem sententiarum non displicet nobis illa distinctio, quam solidissimus in possessionis difficili materia reliquit Menoch. *in remed. 510 retinenda possess. q. 3. n. 49. & q. 4. n. 53.* quem sequitur Mascard. *de Probat. all. Concl. n. 51.* ut, si possessorio tantum agatur iudicio, sit defendendus ex sua quasi possessione possessor, donec de contrario jure appareat: sin vero iudicio petitorio agatur, in quo titulum necesse est probare, non sufficere quasi possessionem, nisi perfecte præscripta sit, quia tunc vim tituli obtinet. Menoch. & Mascard. *all. 4*) effectus quasi possessionis in usu juris, qui est fructus quasi pos-

possessionis, sese exerit, dum superjure ipso in iudicio contenditur. Cum tam amplos infignesque effectus possessio ex unico actu quæ sita relinquit, patet facile quam male in possessorio iudicio, ut jam supra notatum, vulgatum rubri nostri applicetur axioma: Einmahl ist keinmahl.

§. XXIV. Uti vero ex unico actu quasi possessio acquiritur, ita e contra, per unicum etiam disparientia, ut loquantur, actum rumpitur, & per consequens etiam præscriptio, quæ continuatam requirit possessionem, interrumpitur. *all. Wesenb. Consil. 18. n. 19. ibique all. Dd. Harpr. ad pr. Inst. de Usucap. num. 240.*

§. XXV. Non tantum unico actui tribuunt Dd. in interrumpenda præscriptione & quasi possessione, sed & in interrumpenda & impedienda consuetudine. Quamquam enim consuetudo non probetur uno & inducatur actu. *arg. l. 12. ff. de Testib. §. 9. Inst. de I. N. G. & C. l. 32. ff. de LL. sed frequentiam actuum desideret. l. 1. C. quæ sit longa consuetud. l. 3. C. de ædif. privat. & hinc inde, admonente Harprecho, suspecta & erronea sit illorum sententia, qui ex bino seu geminato consuetudinem induci actu autumant, cum quod semel bis vel ter factum, frequenter factum esse, dici non possit. l. 15. ff. de Injur. ut ita, nec duo ad introducendam sufficiant consuetudinem: E. kolt. *ad tit. ff. de LL. Scz. & L. consuetud. quamvis sint iudiciales & notorii. Vinn. ad §. 9. J. de J. N. G. & C. interim unicum actum ad interrumpendam & impediendam sufficere consuetudinem, concors est Dd. traditio. arg. l. f. c. Quæ sit long. consuet. Meyer. Cruf. in Comm. Inst. L. 1. tit. 2. p. m. 107. Conf. Schrad. de Feudis p. 10. Sect. 20. n. 157. ubi ait, clari & indubitati est juris, quod per actum contrarium, etiam unicum, & ab uno solo homine celebratum consuetudo & interrumpatur & impediatur, quo minus introduci possit, usque adeo, ut unicus**

actus contrarius vel difformis consuetudinem impediatur, etiam si mille actus ad consuetudinem, sive vigore consuetudinis, celebrati sint. Dd. a cit. Schrad. allegati. Et cum tanti effectus sit unicus actus ad consuetudinem impediendam, colligit *all.* Schrad. n. 159. sequi inde, quod multo magis per unicum actum contrarium non usus interrumpatur & impediatur, cum contraria consuetudo sit efficacior & firrior, quam non usus.

§. XXVI. Magni effectus esse unicum actum, ex eo quoque inclarescit satis, quod ex communi Dd. opinione, quoties privilegium in non faciendo consistat. Gail. l. 2. *obs.* 60. n. 10. Rauchb. p. 2. q. 11. n. 97. per unicum privilegiarii actum voluntarium. arg. l. 2. C. de jur. domin. impetr. l. 4. C. de Pact. inter empr. & vend. compos. Brunn. ad l. 2. *all.* & consummatum ipsique privilegio directo contrarium, qui sit ut loquitur *all.* Brunn. incompassibilis cum privilegio, idem amittitur, deducuntibus Trentacinquo Lib. 1. tit. de *prescript. & privileg. Resol.* 10. n. 8. Enenk. de *Privileg.* l. 3. C. 15. n. 19. & 20. Hunn. *Encyclop. Jur.* p. 1. l. 6. c. 7. n. 1. *seqq.* quod extendunt aliqui, etiam ad privilegium effectum habeat successivum, aut universali competat. Marburg. v. 4. *Conf.* 16. n. 480. Lauterb. in *Coll. Juris Pract. tit. de Conf. Princip.* §. 51. & *Conclus. Pract. Exercit.* 3. §. 11. *Conf.* tamen Brunn. ad l. 1. & 2. C. de *his, qui sponte publica munera sub.* Gail. l. 2. *Obs.* 60. n. 11. Ratio amissionis privilegii per unicum privilegio contrarium actum est, quia unius ita qualificati actus exercitium inducit *renunciationem*, qua expirat privilegium: Si unicus iste privilegio contrarius actus non fuerit voluntarius, sed violentus, coactus, meticulosus, aut per ignorantiam privilegii susceptus, amissionem privilegii non infert, licet nulla protestatio contra vim aut coactionem intervenerit. l. 4. ff. de *Mun-*

Et Honorib. quod si etiam actus unus susceptus non directo, sed indirecto privilegio fuerit tantum contrarius, per plures demum inducetur renunciatio. Gail. *all. n. 10. sqq.* vid. l. 12. C. de Excusar. tut. l. 2. ff. de Veteran. l. 2. Et 3. C. de his qui sponte. Si quoque consuetudine introductum & quaesitum sit privilegium, unico actu contrario idem non amitti volunt. Rauchbar. *all. n. 108.* Menoch. de Præsumpt. l. 6. præf. 41. Felin. in C. cum accessissent. X. de Const. n. 30.

§ XXXVII. Cum nemo bis cogatur solvere, ejusque rei aut quantitatis, quæ debetur, præstatione & solutione ab obligationis nexu contingat omnino liberatio. *pr. J. quib. mod. tollatur obligat.* Fluit facile, adversus semel factam solutionem sine omni plane affectu, adeoque frustra allegari dictum vulgatum, Einmahl ist keinmahl. Conf. l. 34. ff. de Leg. 1. l. 12. ff. de Probat. Quare nec necesse est nobis hæc tangere, id tamen non adeo inconvenienter hic tangimus & quaerimus, an tum bis, res aut pluries solvere hæres necesse habeat, si testatur alicui in testamento 1000. Imperiales reliquerit, & si perdidisset, rursus ei reliquerit? Respondet Ulpianus in l. 11. ff. de Legat. 3. legatam quantitatem, si sæpius deperdidisset, non sæpius esse resarciendum, & non amplius, quam semel postquam perdidisset, esse præstandum. Cum quælibet dispositio restringatur & consumetur uno actu. Conf. tamen l. 25. ff. de Fidejussorib. & pro identitate præsumatur, ubi specialiter non est requisita pluralitas, aut geminatio.

§ XXXVIII. Quem effectum unico actui tribuimus in jure quaerendo & amittendo, eum multo firmiter quoad jam quaesiti juris retentionem & conservationem largiri valeamus, cum facilius retineantur quaesita, quam amittantur, aut de novo acquirantur. Brunnem. ad l. 20. ff. quem admod. Servit. amitt. & ad l. 8. ff. de his, qui sui vel alien. jur.

sunt n. 2. 3. Finckelthaus. O. 18. n. 25. Facile ergo cum *all. Brunn. ad l. 20. ff. quib. mod. usufr. & us. amittat.* concedimus, per unicum jurisdictionis actum, & usum unius speciei retineri universalem jurisdictionem, cum uno actu jurisdictionis utens videatur omnibus actibus uti, qui sub ea specie jurisdictionis comprehenduntur. Conf. *Mev. p. 7. d. 34. n. 3. Harprecht. ad ff. 12. 13. ff. de Res. Divis. n. 257.*

§. XXIX. Quæ hætenus deducta, actum unum licitum ejusque effectum, qua acquisitionem, retentionem & amissionem concernunt: superest, ut unum illicitum aut prohibitum actum, uno nomine delictum, ejusque, si semel commissum, lustremus effectum, tum quoad præsens, tum futurum.

§. XXX. Delicti effectum, quoad præsens, ponimus in pœna, quam omne id, quod contra legis prohibitionem semel est admissum, post se relinquit, siue fuerit consummatum, siue tantum præparatum, aut uno altero actu inchoatum, dummodo fuerit atrox. Atrociora enim facta aut crimina ex Romana jurisprudentia æquali cum consummatis subjacent pœnæ, quod exemplo *Lasæ Majestatis. l. 5. l. 6. C. ad L. Jul. Majest. Assensii. c. 1. de Homicid. in 6to. Homicidii. l. 1. l. pen. ff. l. 7. C. ad L. Cornel. de Sicar. Parricidii. l. 1. pr. ad L. Pompej. de Parricid. longius, si arcti permitteret disputationis limites, deducere liceret: non inde tantum id inferre intendimus, eo minus dubitare licere, quin consummata semel & perfecta crimina, aut delicta præfinita pœna sint digna censenda: de quibusdam tamen delictorum speciebus est DD. inter orra dubitatio, an unico actu perficiantur, & legis pœnam post se trahant eandem, aut ordinariam, aut æque gravem, ac tum, si pluribus actibus exercita. Sic dubitant & disputant (1) de Furti crimine, an si idem unica tantum eaque prima vice
sine*

sine effractione, sine armis commissum, sit tamen *magnum*, dum quinque solidos h.e. aureos Ungaricos, excedit. Conf. *C. C. C. V. art. 160. Carpz. qu. 78. n. 108.* pœna laquei dignum, ut fur suspensi possit, an vero is quoad duræ laquei pœnæ evitacionem vitæque custodiam vulgato dicto, *Einmahl ist keinmahl, se tueri, seque a laqueo liberare possit? Quemadmodum in pœnalibus & odiosis sententiam mitiorem, monente Jcto in l. 42. ff. de Pœn. sequi, neque ipsa lege rigidiores debemus esse. l. 11. l. pen. ff. de Pœn. tantum abest, ut non potius hic negantibus, assententibusque, furem regulariter, nisi alia concurrant circumstantiæ, pro unico simplici furto, utcumque magno, non esse suspendendum, subscribamus, quam ut calculum nostrum affirmantibus adjiciamus. Stant a partibus nostris Gomerz. tom. 3. var. Res. de Furt. n. 7. ibique Emanuel Suarez in addit. Damhauder. in Prax. Crim. C. 119. num. 35. Fachio. L. 9. Controv. cap. 91. Hænon. Disp. 18. c. 8. Lauterb. tit. ff. de Furt. alique plures ab Harprecht. citati ad ff. 5. §. de Obligat. quæ ex delicto nascuntur, num 59. ubi ait: *mortis penam ob solam reiterationem & frequentiam delicti, non vero propter magnitudinem ejus imponi, effiçique delicta geminata seu reiterata ex eorundem reiteratione capitalia, quamvis per se non sint talia. Conf. l. 3. C. de Episcop. Aud. l. 3. §. 9. ff. de Re milit. l. 8. C. ad L. Jul. de Vi publ. l. 4. C. de Serv. & Fugitiv. l. 1. C. de Superexactio. l. 28. §. 3. & 10. ff. de Pœn. Habentur juxta all. Harprecht. ill. furta, quæ uno eodemque tempore commissa pro uno. arg. l. 7. §. 5. ff. de Injur. l. 52. §. 4. ff. pro socio l. 25. §. 3. ff. famil. ercisc. ut temporis continuatio inducat quandam connexionem, pluresque actus videantur unus. Approbat Harprecht. sententiam Covarr. tom. 2. var. resol. lib. 2. c. 10. quando ait: *Si quis eadem furandi continuatione, &* ut ajunt, *in continenti plures etiam a pluribus Dominis***

minis furro subtraxerit res, unicum tantum furtum est censendum, quoad effectum legis statuti, quo cautum est, furem pro reo furro suspendendum esse, cum mens statuentis tendat ad puniendam furandi consuetudinem, & ita puniendum quoad vindictam publicam, licet secus dicendum sit quoad ipsos, a quibus res ablatae sunt, cum ob plures rerum Dominos videantur plura furta. Conf. Berlich. p. 5. Concl. pract. 43. n. 99. seqq.

§. XXXI. Dubitatur (2) de Rapina sive Robbaria & (3) de Lenocinii crimine, an hæc unico actu committi possint, & an non? ut in iis sit capitis pœnæ locus, plures requirantur actus: Quod spectat Rapinam sive Robbariam, non desunt Dd. Nicol. Rensn. L. 1. dec. 16. n. 20. Matth. Steph. in not. ad art. 126. C. C. C. V. haud veriti statuere, Robbariam seu Rapinam ultimo supplicio coerceri non debere, nisi raptor sæpius illam commiserit. Moventur autem l. 28. §. 10. ff. de Pœn. ibi: & si cum ferro aggredi & spoliare instituerunt, capite puniuntur, utique si sæpius atque in itineribus hoc admiserunt. Sed non dubitat Carpz. p. 2. qu. 90. n. 22. hanc assertionem falsitatis arguere, cum textus in art. 126. C. C. C. V. indifferenter malitiosos raptores capite plectat, non habita ratione, an semel, bis, aut sæpius quis se hoc delicti genere contaminarit, & in contrarium allegatus ex jure Civili textus de Robbaria conatu accipi possit, addit tamen all. Carpz. num. 27. & ibi ita scribit: Quicquid sit, licet concesserim de jure Civili raptores ob primum delictum gladii pœna haud teneri, at tamen observantia hodierna, & usus pro foro Saxonico contrarium docet, & non meminit Carpz. ut ejus verba habent, Scabios in hac pœna unquam ad Rapinæ reiterationem respexisse.

§. XXXII. Sequitur crimen Lenocinii, quod illi committunt, quicumque ex scortationibus, adulteriis & deflorationibus sibi quæstum faciunt, virgines, viduas,
UXO.

uxores aut meretrices quæstus gratia ad actum veneremur, aut publice, aut occulte pellicentes, aliis prostituentibus, aut spe lucri prostitui patientes, quod crimen cum gravius habeatur adulterio (cum adulter solum in se ipsum; Leno vero in se & alium peccet) tam in parentibus, & marito, quam extraneis personis jure Civili capitali pœna plectitur. *Nov. 14.* quæ pœna quoad parentes & maritum est approbata *C. C. C. V. a. 1. 2.* sed quoad extraneas personas restricta *A. 123. all. Const.* Nobis illud hic, quod in *§. priori* innuimus, discutendum venit, an ille capitalis pœna & fustigationis, aurium abscissionis, relegationis pœna, de qua in *alleg. art. 123.* agitur, locum invenire possit, si parens vel maritus semel tantummodo filiam vel uxorem prostituerit, aut extraneus semel tantum lenocinium exercuerit, an vero ut quis dicatur leno, & ut leno puniri possit, consuetudo saltem per duos actus aut vices requiratur? Arbitramur utroque casu esse verius, unicum sufficere actum, cum enim nullibi reiteratio ad infligendam lenocinii pœnam requiratur, nullibique exprimat, delinquentes prima & unica vice a pœna liberari, non potest id, neque debet absque juris autoritate asseverari. Accedit autoritas Ulpiani in *l. 29. §. quæstum ff. ad L. Jul. de Adult.* ita loquentis: *Quæstum autem ex adulterio uxoris fecisse videtur, quicquid accepit, sive enim sæpius, sive semel accepit, non est exprimendum:* & quamvis plerique *Dd. Berlich. c. 40. n. 34. part. 5. Menoch. L. 2. de A. F. Q. c. 6. c. 534. n. 24.* alique cum *Carpz. p. 2. Q. 71. cit.* *Dd.* quoad parentem & maritum semel tantum lenocinium admittentes subscribant, eosque dignos capitis habeant pœna, sicut & *Scabini* pœnam gladii marito cuidam, qui accepta pecunia uxorem suam semel adulterari passus fuerat, dictarunt, te

E

ste

ste Carpz. *all. l. n. 21.* quoad *extraneos* tamen dissentiunt, pluresque actus & ad minimum *duos* requirunt actus & vices, ut quis *leno* dicatur. Darnhauder. *cap. 91. n. 6.* Menoch. *all. l. n. 49.* Quorum sententiam approbat Berlich. *all. l. n. 77. si sine quaestu* quis lenocinium exercuit: sed & eo casu Carpz. poenæ lenocinii locum relinquit, quia hanc *distinctionem* nullibi fundatam sentit, & constitutiones, tam Saxonica, quam Carolina generaliter loquantur, lenonesque indifferenter & absque respectu, *an semel, bis aut plures deliquerint*, puniant. Quemadmodum & teste *all. Carpz.* Scabini ob lenocinium, *semel* absque spe lucri commissum poenam perpetuæ relegationis dicere non dubitaverunt.

§. XXXIII. Unicum actum lenos lenasque efficere priori est deductum thesi: non inconvenienter his *meretrices* jungimus, & pro thematis nostri ratione disquirimus, an *unicus actus*, aut cum *uno alterove viro habitus concubitus meretricem* faciat? Et vulgi opinione & rumore quæcunque stuprata aut extra matrimonii figuram cognita, meretrix audit, sed LL. *invitis, invitis Dd.* Meretrix proprie est, *quæ palam quaestum facit, aut quæ se sine delectu, sive pro quaestu, seu sine quaestu* (est quidem proprium meretricum accipere pecuniam. Conf. *text. ap. Ezech. 16. v. 31.* sed non proprium, ut scholæ loquuntur, in quarto modo) *L. 43. ff. de R. Nupt. omnibus vel pluribus* committit. Conf. *l. 33. ff. de V. S.* Facit meretricem vitæ genus & virorum multitudo, quibus corpus suum abutendum dedit; non est meretricis, servire uni, sed fovere complures: Quot autem numero viris mulier debeat esse prostituta, ut meretrix saluteretur, in jure nullibi est determinatum: Inde nata *in numero determinando Doctorum*

Etorum discordia: quarum alii duos quæstus causa, alii
 unicum tantum admisisse sufficere putant, sed non conve-
 niunt hi cum Jcto Ulpiano in l. 43. §. 1. & 2. ff. de R. N. di-
 fertis verbis contrarium pronunciantes. Quæ cum uno vel
 altero pecunia accepta commiscuit, non videtur palam corpore
 quæstum facere, si quidem ex actu ejusmodi meretricio
 cum uno vel duobus celebrato mulier non statim indicari
 potest, quod libidinofissimum istud ac meretricium vi-
 tæ genus elegerit: Hinc ad minimum tres requiri pu-
 tant Dd. Brunn. ad l. all. Farin. Q. 136. p. 3. Mirari sane hic
 cum Ursino D. in Disp. de Quæstu Meretricio Francofurti
 A. 1682. habita subit, quid Glossatoribus Juris Canonici in
 mentem venerit, cum ad C. vidua 16. D. 34. ad verbum mul-
 torum annotare haud fuerint veriti, meretricem eam esse,
 quæ admisit plures, quam 23000. hominum, vel quæ 40.
 absque tamen mercede admiserit. Relinquimus cum all.
 Ursino rem arbitrio Judicis determinandam. arg. l. 1. ff. de
 Jure deliberand. Illa tamen, quæ semel se prostitui passa,
 & cum uno alterove consuevit, non est inter meretricum
 numerum referenda, & eo minus, si qua puella vi amo-
 ris capta virginalè claustrum uni aperiendum dedit: ut
 loquitur Harpr. ad §. 1. J. de inoff. test. §. 34. qui captam a-
 more puellam cum furiosa, arg. Nov. 74. c. 4. & cum coæ-
 tæ, cum amor sit ipso igne potentior, comparans, putat,
 eandem nec nota infamiae esse aspersam, adeoque a restato-
 re etiam institui posse hæredem, fratre sororeve præte-
 ritis, hisque inofficiosi testamenti querela non gauden-
 tibus. Conf. Menoch. de Arbitr. Judicium Q. C. 4. Cas. 328.
 n. 3. Ungep. exerc. 16. Q. 10.

§. XXXIV. Dum circa delicta carnis occupati illa-
 que successiva esse deprehendimus, ulterius inquiri-
 mus,

mus, an *æquali dignus pœna*, qui *semel tantum cum femina* aut *puella congressus*, ac *is*, qui *toties libidinosum reiteravit concubitum?* & an *is*, qui *una se non continuit*, sed *ad plures accesserit*, pluresque *venereos actus exercuerit*, *graviori pœna affici possit?* Si *semel consummatum carnis crimen*, quod *deducente Carpz. p. 4. C. 19. D. 17. & p. 2. Q. 61. n. 2. 3. seqq.* ipsa *femina immisione contingit*, utique *iste unicus congressus ordinaria dignus*, licet *adulterini actus reiteratio non subsecuta*, sed, *peracto semel coitu adulterino*, *pœnituerit*, & *sponde post ab ulteriori congressu*, occasione non *præcisa*, *abstinuerit*. *Pœnitentia enim non tollit delictum semel consummatum. l. 65. ff. de Furr. l. 1. §. 25. ff. de post. l. 5. ff. de Vi bonor. rupr. suffragatur pœnitentia*, si *delictum nondum consummatum*, aut *si leve fuerit. l. n. ff. de in jus vocand. l. 5. §. 4. ff. de Re mil.* ubi *res post consummationem in integrum restitui potest statum.* Conf. *Carpz. p. 1. Q. 37. n. 35. 39. & p. 2. Q. 39. n. 3. seqq. & p. 1. Q. 18. n. 22.* aut ubi *ipsa lex pœnitentiæ locum relinquat.* Conf. *l. 1. C. de Crim. stell. l. 38. §. 6. ff. ad L. Jul. de Adult. l. un. C. Ne tut. l. cur. vestigal.* Si tamen *præsupponamus*, *Juvenem ex subito & improvise libidinis impetu*, & *amoris furore*, dum *persuasionibus lascivis*, & *gestibus venereis ad libidinem adtractus & incitatus fuerit*, *confestim semel tantum*, aut *unicum cum scæmina explevisse concubitum*, non *videamur lege clementiores*, si, *seposita pœnæ asperitate*, *ceaseamus*, *mitius hunc puniendum esse*, ubi, *amoris furore cessante*, *nulla subsecuta reiteratio.* *Parcendum est*, inquit, in *nostro casu Carpz. p. 2. Q. 61. num. 39. amoroso*, qui *furore libidinis & amoris aliquid prohibitum fecit*, *cum id videatur fecisse*, *quasi furiosus & demens.* *Quemadmodum ergo furor*, ut *fati infelicitas, l. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar.*

Sic. delinquentem excusat, ita & amor & libidini, quæ furori æquiparatur, *Cap. cum in juventute. X. de Præsumpt.* videtur indulgendum. Numquid vehementius amore? sane hunc intra debitos carcerare limites, est potius philosophicum, quam muliebre aut juvenile opus. *Carpz. all. loc.* Succurrunt jura iis, & mitius puniunt, qui subito impetu, in deliberato & ex improvviso peccant, & statim perpetrati aut admissi facti agunt poenitentiam, quam qui deliberato pensatoque animo delinquant. Exemplum petere inter alia licet a *blasphemante*, in quo poena mitigari solet, si in continenti, antequam e loco pedem tulerit blasphemans, veram ostenderit contritionem. *Recess. Imp. de An. 1630. tit. von Gottes-Easterungen und Gottes-Schwüren. Carpz. pr. Crim. Q. 45. n. 66.*

§. XXXV. Quod reiteratum & quidem vel cum eadem, cum diversis personis spectat concubitum, & utrum propter istam reiterationem stuprans aut adulter majori affici possit poena, id quidem prima fronte juxta ea, quæ in §. antecedenti sunt adducta, videbatur affirmandum, reiteratione aggravante delictum & poenam, & ex reiteratione diverso oriente crimine. Sed cum hæc juxta interpretes procedant in penis iterabilibus, & compatibilibus, non vero in non iterabilibus, v. gr. ultimi supplicii, neque in successivis delictis, quæ etiam continuata una & non plura reputantur: Non nisi unicæ poenæ poterit esse locus, licet quis pluries alienam cognoverit uxorem. *Carpz. p. 2. Q. 62. §. 60. ubi num. 66.* addit, idem esse, & gladii sufficere poenam, si quispiam cum diversis & pluribus personis adulterii crimen commiserit. Testatur *alleg. Carpz.* severiorem poenam non fuisse dictatam marito, licet cum sua ancilla plus, quam centies se concubuisse confessus fuerit, neque viduæ, quæ vivente marito 107.

personis se prostituerat, graviolem inde fuisse impositam pœnam. Nec admittit ad Carpz. p. 2. Q. 75. n. 44. propter stuprum violentum reiteratum pœnæ exasperationem, v. gr. ut candentibus forcipibus ante ustuletur delinquens, cum, illo putante, ad hujuscemodi exasperationem & augmentum pœnæ absque legis autoritate non sit proferandum. arg. l. 5. C. de Repud. Cui pœnæ augmento nec in reiterato Homicidio. p. 1. Q. 24. n. 72. neque in Incendio p. 1. Qu. 39. n. 67. sqq. locum relinquit Carpzov. ubi n. 77. addit, non esse exasperatam pœnam in casu, quo crimen incendii a reo septies erat iteratum.

§. XXXVI. Cum in prioribus tradita doceant satis, paucissima aut plane nulla esse delicta, quæ non, si semel tantum, aut prima vice commissa æque graviolem post se trahant pœnam, ac reiterata toties, graviusque nunquam non puniantur, quam admissa semel, male suis provident membris & capiti sub isto prætextu & impunitatis spe, Einmahl ist keinmahl, male agentes, prohibitoque actu, quam vis unico se sequitur contaminantes.

§. XXXVII. Ad finem proferaturis supereff est effectus admissi semel delicti in futurum: quem in hac præsumptione, quam regula 8. de R. Jur. in 610 relinquit, ponimus; semel malus, semper præsumitur talis: Daß der allwege arg und böse, welcher einmahl arg und böse gewesen. Pr. & N. Lib. 1. tit. 39. Art. 3. §. 9. Quisque hominum in foro humano aut soli, quamdiu de admissa turpitudine non constat, præsumitur bonus c. u. x. de Scrut. in ord. faciend. arg. c. dudum. fn. x. de Præsumpt. & nemo præsumitur deliquisse. l. 1. ff. pro socio. l. 15. §. 36. ff. de Injur. quia delinquere & peccare non est viri boni, sed mali, & nequam. Sed ubi homo semel honestatis leges transiit ad malum semel delapsus.

lapsus, nil boni de eo amplius præsumere licet: Cum enim natura humana ad malum sit bona. *C. omnis 12. Q. 1.* non potest præsumi emendatio & mutatio; ut concludit Brunn. *ad Q. all. 8. de Reg. in bro.* talis hodie quisque præsumitur, qualis olim fuit. Ad specialiora decurrentes hujus præsumptionis a semel admissio delicto petitæ effectum, de quo maxime laborandum, brevibus subjicimus. Qui semel pejeravit, & post iterum testis producitur, a testimonio rejicitur, quia in futurum præsumitur pejerare, nec creditur magis ejus juramento, etiamsi per mille Deos, ut Cicero inquit, juret, aut jurare paratus. Brunn. *all. Qui semel falsum testimonium perhibuit, ad accusandum ulterius non admittitur. l. 9. ff. de Accusat.* Qui in iurela semel male versatus, ad aliam non admittitur, sed statim tanquam quasi suspectus removeri potest. *l. 3. ff. de Susp. tutor.* Qui semel commisit homicidium, præsumitur etiam occidisse eum, cujus homicida ignoratur: sic ulterius occiso aliquo in rixa, ille torquendus, qui simile delictum semel commisisse deprehenditur. *Gail. l. 2. Obs. 109. n. 4. Brunn. all. loc.* Procedit vero ista præsumptio ab uno malo semel admissio ad aliud ejusdem generis malum aut simile, quod connexitatem aut dependentiam habet a primo, non vero ad generis plane diversi malum. *Conf. Y. l. X. all. loc.* suspicio tamen propter magnam, quam inter se habent vitia connexitatem, oritur. Cessat vero ista in simile malum præsumptio juxta Dd. declarationem, tunc, quando, qui semel deliquit, magnam penitentiam egisse noscatur, honestis actionibus, trium annorum intervallo forte interposito, vacando, & oblata mali faciendi occasione, a malo abstinendo. *Mascard. de Probat. V. 3. Concl. 107. n. 42. Menoch. all.*

§. XXXVIII.



§. XXXVIII. Uri quis in *futurum* male agere propter *unicum malum* antecedens propitio jure præsumitur, ita non e contra æqualis capitur in *præteritum* præsumptio. Exemplum capimus a *Notario*, qui hodie *semel* admisisse falsum est deprehensus, cujus instrumenta prius, aut ante annum jam confecta, non possunt inde reputari falsa. *Mascard. all. & Menoch.* Sic nec ita bene videmur colligere & concludere: *Vidua mortuo marito fornicatur.* Ergo *marito vivente* idem fecit. Admittimus tamen cum allegatis *Dd.* ob malum in præsens admissum *suspicionem in præteritum*: non autem *præsumptionem.*

Tantum.


S. D. G.




01 A 6536

ULB Halle 3
002 929 21X







DISPUTATIO JURIDICA
Vulgato Dicto

UNUS ACTUS,
NULLUS ACTUS,

GERMANICE,
Sinnmahl / Sinnmahl /
OPPOSITA;

QUAM
IN REGIOMONTANA ACADEMIA

ANNO MDCXCVI.

PRAESIDE

JOHANNE AMSELN,

J. U. D. PROF. PUBL. EXTRAORD. ET SUPREM. IN PRUSSIA
JUDICIOR. ADVOCATO,

HABUIT

HENRICH BREYER, BRUNSV. SAXO.



HALAE MAGDEB. STANNO HENDELIANO, 1735.

9.